

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0551
	0549
	0555
	0545
mirabilia sua, potentiam suam ostenderet et inimicos populi Dei submergeret (71 a). Si autem Dominus statim populum Israel ad terram sanctam ducere voluisse, tunc alia via, per medium spatum utriusque maris propinquior fuisset in Palae- stinam, sed hoc Dominus noluit. Causa habetur Exodi XIV. et supra Fol. 26. et ibi vide Nicol. Lyram et magistrum in Speculo historiali.	0560
Porro in loco et in montanis, ubi finitur mare rubrum, vidimus stupenda opera antiquorum regum Aegypti, qui conati sunt mare rubrum deducere usque in Nilum, quapropter montes Euripi in capite maris incepérant perfodere et colles dividere, rupes, saxa et petras per medium scindere, et fece- runt canale et alveum in civitate Arsinoe, quae et Cleopatridis dicitur. Hanc vero fossam primum Sesostris rex Aegypti ante res Trojanas opere sumtuoso incidit, quam post Darius rex Persarum aggressus imperfectam reliquit, post quem Ptole- maeus secundus summa arte perfecit opus, ita tamen, ut praeclusa esset fossa et non nisi sibi aperiebatur. Per hoc autem intendebant antiqui illi copulare orientem et occidentem, quia Nilus profluit in mare mediterraneum, in quod, dum mare rubrum ingredieretur, per eum fluvium posset fieri navi- gatio a mari mediterraneo et occidentali oceano in mare ru- brum, in sinum arabicum et persicum et barbaricum usque in indicum mare in orientem; et ita naves de India, de Persia, de Arabia, de Media et de universis regnis orientis possent libere venire in Graeciam, Italiam, in Franciam, in Hiber- niam, Angliam et in Germaniam, cum alias naves orientalium regionum non amplius, quam usque ad terminum maris rubri, ubi Arabia deserta et Aegyptus se contingunt, procedere pos- sunt, nec naves occidentalium regionum venire ultra possunt quam in Alexandriam, quae est terminus Africæ et Asiae, quamvis rex quidam Hispaniae conatus sit aevo nostro perqui- rere vias deveniendi ab oceano occidentali, de mari scilicet exteriori, quod est ultra fretum Herculeum, in oceanum orien- talem et in mare indicum, sed in vanum conatus est, reperisse tamen dicitur quasdam prius incognitas insulas pretiosos. In hoc autem, quod Ptolomaei Aegypti reges conglutinare cona- bantur orientem et occidentem, duo intendebant, primum, ut	0500 0650 0450 1050 0050
	Ende
	Anfang